

Te Deum

1. Te De - um lau - dá - mus, * te Dó-mi-num con - fi - te - mur.

2. Te æ - ter - num Pa - trem * omnis ter - ra ve-ne-rá - tur.

3. Tibi omnes angeli, * tibi cæli et universæ potestates:
4. tibi cherubim et seraphim * incessabili voce proclamant:
5. Sanctus, * Sanctus, * Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
6. Pleni sunt cæli et terra * maiestatis gloriæ tuæ.
7. Te gloriosus * Apostolorum chorus,
8. te prophetarum * laudabilis numerus,
9. te martyrum candidatus * laudat exercitus.
10. Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia,
11. Patrem * immensæ maiestatis;
12. venerandum tuum verum * et unicum Filium;
13. Sanctum * quoque Paraclitum Spiritum.
14. Tu rex * gloriæ, Christe.
15. Tu Patris * sempiternus es Filius.
16. Tu, ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
17. Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna cælorum.
18. Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.
19. Iudex * crederis esse venturus.
20. Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso sanguine redemisti.
21. Æterna fac cum sanctis tuis * in gloria numerari.
22. Salvum fac populum tuum, Domine, * et benedic hereditati tuæ.
23. Et reges eos, * et extolle illos usque in æternum.
24. Per singulos dies * benedicimus te;
25. et laudamus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.
26. Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.
27. Miserere nostri, Domine, * miserere nostri.
28. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.
29. In te, Domine, speravi: * non confundar in æternum.

Altra intonazione:

Te De-um lau - dá - mus, te Dó - mi - num con - fi - te - mur.